



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici,
& Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur,
Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis,
Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris
novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XCIII. De Cambiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

lis Censui; est tamen omnino diversus à contractu Censui.

CAPUT XCIII.

De Cambiis.

1. *Quer.* Quid sit Cambium? *Resp.* Est permutatio Negotiatoria numismatis pro numismate, seu pecunia pro pecunia. Erideò, qui dat pecuniam ad Cambium, vocatur Campsor; qui verò eam recipit dicitur Campsarius. Nicol. *disc. lib. 3. tit. 24. num. 116.*

2. *Quer.* Quotuplex sit Cambium? *Resp.* Est duplex; Siccum, & Reale. Cambium est Siccum, quando quis fingit dare pecuniam solvendam in loco distanti, ubi non est dicta pecunia, quæ ibidem sub hoc nomine exbursatur. Et verè est contractus mutui; idèdque utilitas sub nomine Cambii est Usura; & hoc Cambium Siccum damnatum est per Constitutionem S. Pii V. *Incip. In eam pro nostro.* Et est in Bullario Constit. 118. Et eam refert Quaranta in *Verb. Usura*, & Navar. in *Man. cap. 17. num. 300.* Cambium reale est, cum pecunia realiter cum alia commutatur. Nicol. *d. num. 116.*

3. *Quer.* Quotuplex sit Cambium Reale. *Resp.* Est duplex. Unum dicitur Cambium per minutum, quando scilicet commutantur nummi aurei pro argenteis, vel argentei pro æreis. Et aliud Cambium locale, quando pecunia exbursatur Venetiis, ubi dantur litteræ ad hoc, ut ipsa habeatur Romæ. Nicol. *ubi supra disc. lib. 3. tit. 14. Institut. Civil. num. 117.*

4. *Quer.* An litteræ sint de substantia Cambii localis? *Resp.* Negativè. Quia possent fieri etiam per Nuncium. Nicol. *ibid.*

5. *Quer.* Quæ, & quot sint conditiones necessariæ ad hoc, ut licitum sit Cambium? *Resp.* Quatuor. *Prima*, ut litteræ pro habenda pecunia in loco distanti non sint fictitiæ, & inanes; sed verè in dicto loco extet pecunia. *Secunda*, ut non fiat pactum, quod Campsarius solvat aliquid pro lucro cessante, vel damno emergente, si non restituerit Campsori receptam pecuniam tempore determinato. Quamvis post transactum dictum tempus Campsor possit agere ad damnum emergens evitandum, vel lucrum cessans repetendum. *Tertia*, ne Campsor det terminum ad protrahendam restitutionem pecuniæ faciendam à Campsario ob pactum recipiendi lucrum; nisi cum dilatione temporis concurreret aliquis iustus titulus, vel periculi, vel damni emergentis, aut lucri cessantis. Et *Quarta*, ne dentur termini longiores ad restituendam pecuniam, quam distantia locorum permittat. Nicol. *disc. lib. 3. tit. 24. num. 119.* & ibi *Constitutio S. Pii V.* Quæ est in ordine la 118. *Incip. In eam pro nostro.*

6. *Quer.* Quando liceat creditori ob Cambium recipere recambia ob moram debitoris in solvendo? *Resp.* Quando de hoc præmisit protestationem, & intimationem debitori; & quando re vera creditor accipit

pecuniam ad recambium, id notificat ipsi debitori, ut sciat sibi currere usuras. Rota *par. 1. rec. decis. 52.* & apud Eminent. Othobon. *decis. 92.*

7. *Quer.* Undè proveniat Justitia Cambii, & qui sint tituli justè accipiendi lucrum ex cambio? *Resp.* Provenire justitiam Cambii, *Primo*, A damno emergente, & lucro cessante Campsoris. *Secundo*, A labore numerandi. *Tertio*, A commoditate Campsarii habendi pecuniam translatam in alio loco. *Quarto*, Ab æstimatione pecuniæ purioris, puta auræ, antiquæ, & similium. Bonacin. *tom. 2. de contract. disp. 3. q. 5. punct. Unico, de Cambiis.* Nicol. *ubi supra num. 120.*

8. *Quer.* Quando Mercatores, ad quos diriguntur litteræ Cambii, teneantur eas solvere? *Resp.* Quando eas acceptarunt. Quod fit dupliciter: Vel tacite, cum eas retinent apud se. Vel expresse, quando scribunt à tergo, eas acceptasse, vel coram Testibus promiserunt, se eas soluturos. Nicol. *ubi supra num. 122.*

9. *Quer.* An regulares possint recipere pecuniam ad Cambium, vel ad Censum? *Resp.* Negativè, nisi prius obtineant licentiam à Sacra Congregatione, ut ipsa decrevit 21. Maji 1626. Diana *par. 4. tract. 4. resolut. 223.* & Nicol. *ubi supra num. 124.*

10. *Quer.* Quid dicendum de Praxi Romanorum, qui exbursant pecuniam alicui indigenti, & illam petenti sub pretextu ponendi illam ad Cambium per se, vel per alium, cum promissione solvendi annuatim quatuor pro centenario exbursanti eandem pecuniam; quamvis illam recipiens non recambiet eam, sed consumat in suis necessitatibus? *Resp.* Hoc esse Cambium Siccum, & Usurarium, quia est merè mutuum. Reginald. *lib. 25. num. 399.* Comitulus *lib. 3. qu. 14. 15. & 16.* Nisi dans pecuniam verè credat, eam esse ponendam ad Cambia, quia tunc bona fides eum excusat. Rota apud Navarium in *Summa Bullar. decis. 18. num. 9. & 14.* ac Eminentiss. Card. de Luca de *Cambiis disc. 3. num. 6. & 7.* atque *disc. 23. num. 9.* ubi ait, hanc Praxin approbatam esse in Tribunalibus Urbis Romæ.

CAPUT XCIV.

De Locatione, & Conductione.

1. *Quer.* Quid sit Locatio? *Resp.* Est personæ, vel rei ad usum facta concessio, pro mercede constituta, in pecunia numerata. Dicitur *pro mercede*, ad excludendum commodatum. Dicitur *in pecunia numerata*, quia, si alia res detur, erit contractus innominatus. Nicol. *d. lib. 3. tit. 25. num. 1.*

2. *Quer.* Quot sint contractus innominati? *Resp.* Quatuor. *Do, ut des. Do, ut facias. Facio, ut facias. Facio, ut des.* Et in dubio contractus præsumitur innominatus. l. 1. ff. de æstim. action.

3. *Quer.* In quot, & quibus Locatio conveniat cum emptione? *Resp.* In pluribus. Quia uterque est bonæ fidei, juris gentium, requirit pretium in pecunia numerata, &